

rerum¹⁶⁴. ¶ De bello et pace est consideratio inter se et ad alios. In qua consideratione observandum que sint vires civitatis et que vires inimicorum presentes et adventicie et qui eventus fuerint similium, ad hoc ut ad superiores pacem habeamus, ad inferiores vero pugnam¹⁶⁵. ¶ De proventibus considerandum qui et quanti sint et de expensis que et quantē, ut secundum proventus moderentur expense, ut superflue auferantur et maiores minores fiant¹⁶⁶. ¶ De mercibus considerandum quantum in terra natum et quanto adducibili indigent et quorum evectione et quorum advectione, ut habita pro non habitis et superflua pro necessariis commutentur¹⁶⁷. ¶ De custodia regionis considerandum multitudinem inhabitantium et latitudinem terre et loca munita vel inmunita, ut secundum hoc custodia necessaria adhibeatur et superflua auferatur que maxime contingit si loca magis ydonea observentur¹⁶⁸. ¶ De legislatione considerandum quot sint species civitatum et quales civitates conferant unicuique civitati et maxime eas que conferunt similibus. Ad quod necesse est scire descriptiones civitatum et provinciarum et leges et hystorias uniuscuiusque earum¹⁶⁹.

Item: Nota quod exhortari et dehortari contingit ex utili et conferenti. Utile vero et conferens est quod expedit ad consequendum finem, finis vero est omnium felicitas et partes ipsius¹⁷⁰. ¶ Felicitas vero est operatio bona cum virtute vel vita sufficiens per se vel vita cum infallibilitate delectabilissima vel habundantia possessionum et corporum cum potentia servativa et factiva horum. ¶ Partes igitur felicitatis²⁾ sunt bona omnia hominis scilicet interiora et exteriora. Interiora quedam sunt anime, quedem corporis. Anime bona sunt virtus et partes eius, scilicet iusticia, prudentia, temperantia, fortitudo. Corporis bona sunt sanitas, pulcritudo, robur, magnitudo, potentia agonistica. Exteriora bona quedam sunt facta, quedam factiva aliorum. Factiva aliorum sunt duo, scilicet ars et fortuna. Facta vero sunt nobilitas generis et bonitas amicicie,

164) *Rhet. I, 4* (1359b 18–20) (AL [wie Anm. 122] S. 172); Omnis ergo quaestio consilii politici vel regalis, sicut dicit Philosophus in primo Rhetoricae, versatur generaliter circa quinque: Primo circa proventus regionis, secundo circa ea, quae inducuntur et educuntur de regione, scilicet circa vectigalia et mercimonia, tertio circa custodiam et munitionem regionis, quarto circa pacem et bellum, quinto circa iura et leges recte ponendas et servandas. *ERP III, c. 4* (S. 57); *ERP II, c. 4* (S. 47).

165) *Rhet. I, 4* (1359b 33–1360 a 1) (AL [wie Anm. 122] S. 173); *ERP III, c. 8* (S. 61).

166) *Rhet. I, 4* (1359b 24–30) (AL [wie Anm. 122] S. 172 f.); *ERP III, c. 4* (S. 57 f.).

167) *Rhet. I, 4* (1360a 11–15) (AL [wie Anm. 122] S. 173); *ERP III, c. 6* (S. 60).

168) *Rhet. I, 4* (1360a 6–11) (AL [wie Anm. 122] S. 173); *ERP III, c. 7* (S. 61).

169) *Rhet. I, 4* (1360a 20–36) (AL [wie Anm. 122] S. 174); *ERP III, c. 9* (S. 62).

170) *Rhet. I, 4–5* (1360b 1–7) (AL [wie Anm. 122] S. 174).